

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Abstinencia c
cum fonte primo

Quam suave michi subito factum est
a suauitatibus nugarum abstinere
et quas amittere metus fuerat,
iam dimittere gaudium est.
Eiciebas enim eas a me,
tu uero summa suauitas
intrabas pro eis omni uoluptate dulcior,
sed non carni et sanguini,
omni luce clarior, omni secreto interior,
omni honore sublimior,
sed non sublimibus in se.

Augustinus IX. confessionum.

Quam suave mihi subito factum est
carere suauitatibus nugarum,
et quas amittere metus fuerat,
iam dimittere gaudium erat.
Eiciebas enim eas a me,
uera tu et summa suauitas, eiciebas et
intrabas pro eis omni uoluptate dulcior,
sed non carni et sanguini,
omni luce clarior, sed omni secreto interior,
omni honore sublimior,
sed non sublimibus in se.

Augustinus Hipponensis, *Confessionum libri XIII.*, 9.1 (CCSL 27, L. Verheijen ed., p.133,
ll.14-19).